

LECTIONES

RECITANDÆ SINGVLIS MENSIBVS

IN OFFICIO S. SCHOLASTICÆ VIRGINIS.

Pro Secundo Nocturno.

MENSE JANVARIO.
Sermo Vener. Bedæ Presb.

Tom. 7. Operum eiusd, Bedæ.

Lectio V.

QVIA Beatae Scholasticae commemo-
rationem peragimus, fratres char-
issimi, libet de eius vita meritis
aliquid de vita Beatissimi Patris Benedicti
huic opusculo introducere, ut quantæ ex-
cellentia sanctitatis fuerit silentio non tegatur;
sed primitus Omnipotenti Deo preces
mittamus, qui omnia in sapientia fecit, ut
ipse donare dignetur, quia dignatus est di-
cere: Qui sit, veniat, & bibat, & de ventre
eius fluent aquæ vivæ, ut coepta sic digne
prosequamur, ut tantæ Virginis pertineat ad
honorem, & vestræ charitati præbeat incre-
mentum. Tu autem Domine, &c.

R. De Communi Virg.

Lectio VI.

SOROR Igitur Benedicti Scholastica
Omnipotenti Domino ab ipso infan-
tiæ tempore dedicata, ad eum semel
per annum venire consueverat. Primitus
quidem virtutem tanti nominis inquiramus,

ut suo decore oratio decursum Scholastica
enim à Schola derivatur, quæ est sapientia
nutrix; ab ipsa virtutum omnium norma
concrescit, & tota virtus animi procax fit
ad discendum bona, & mala, ut recto limite
currere possit viam salutis, qualiter peritura
mundi despiciat, ne oberrans bonum du-
cat pro malo, malum pro bono, tenebras
pro luce, & lucem pro tenebris, amarum
pro dulci, & dulce pro amaro, & discerne-
re possit, quæ virtus sit spiritus, quæ carnis,
nè indiscretè cuncta peragens, ibi bonum
eligere speret, ubi tota est malitiae norma, ut
est illud: Qui non fuerit discipulus verita-
tis, erit Magister erroris.

Lectio VII.
SED Videamus, quis huius tantæ Soror-
is possit esse Germanus? per omnia
Benedictus, non solum nomine, sed
opere, non solum in terris, sed etiam in Cœ-
lis. Ita non Philosophorum schola, Scho-
lastica facta, sed Christi, mundi ludibria ab
infantia fugiens, cælestem sibi sponsum ap-
pavit, sicut ille à Pueritia sua tempore ab-
rupta vitorum, litterarum mundanarum
Romæ studia cernens, senili corde eum,
quem in ingressu mundi possuerat, pedem
retraxit.

Lectio VIII.

QVM Felix Nursæ Tellus, tales
quæ mittit Alumnos, nam Canopica
A Regna

Regna aurea mittunt Tyrannos; Tu Christo
Proles super æthera dignos. O felicia tan-
ta viscera matris , qua tali germine soboles
mundo dedere , idest benedictionis , & fa-
pientia. Vere ista est illa fertilis gleba , qua
sumpto feminæ , aliud centesimum , aliud , se-
zagesimum fructum produxit.

MENSE FEBRVARIO,

ET MARTIO.

Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

SED Cur semel in anno ò Sancta Soror,
ad fratrem veniebas? forsitan longitu-
dine itineris à tua tenera planta for-
midabas? an manus parabas, quod ferres? an
forsitan tantum te semel in anno foecunda-
bat bonus frater rore verbi coelestis, vt ma-
defacta mentium prata sufficeret ad incre-
mentum salutis? an in mente habebas illud
Salomonis : Prohibe pedem tuum de domo
Proximi tui , ne forte sanatus oderit te ? &
illud: Mel invenisti, fili mi, comedere quod suf-
ficit tibi nè forte satiatus evomas illud?

Lectio VI.

SIC Sic agant omnes sorores, non den-
sis gressibus fratrum liminia frequen-
tent, non ineptas resonent fabulas, non
munus deferant tantum , quod tela depin-
git, vel magistra manus adornat, non olfa-
ctoriola , non variorum placenta sapo-
rum, sed cum Scholastica sacram Benedicti
fratris requirite Scholam , vt magis cibo
coelesti, quam dono terreno satiati, reverti
ad propria queatis.

Lectio VII.

AD Quam vir Dei non longè extra
ianuam in possessione Monasterij
descendebat. Quam Sanctus , quam
pudicus, quam discretus accessus, vt fragilis
sexus non lassiceret , obuius frater occur-
rit , nè forte labor itineris frangeret mentis
devotionem.

Lectio VIII.

AN Illicitum cernebat , vt tanti limem
renobij calcari famineo pede de-

buisse? an forte secularium latratus vita-
bat, qui bonos Monachorum mores canino
more devastant , & hoc credant in illis,
quod suis malis actibus agere nō recusant?
etsi hoc de tanto Patre sperare illicitum es-
set, de tenerioribus discipulis inflato guttu-
re crisparent chachinos? Idcirco non in
secularium , sed in proprijs possessionibus
descendebat Pater Almificus.

MENSE APRILI

Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

QUAM autem die venit ex more, at-
que ad eam cum discipulis vene-
rabilis eius frater descendit. Ex
more enim venit, quia ex bona consuetudi-
ne mentis appropinquabat , & fide non fi-
cta. Quam sanctus accessus , quam sanctus
advetus, quam pius cursus, qui magis amo-
re mentis currebat ad Christum , quam de-
votione pedum ad fratrem, imò, & ad Chri-
stum fratrem, nam, & ipse dicit: Si quis fe-
cerit voluntatem Patris mei , qui in Cœlis
est, ipse meus frater, soror , & mater est.

Lectio VI.

SED quali devotione Scholastica virgo
currat, Psalmista licet: Sicut Cervus
desiderat ad fontes aquarum, ita desi-
derat anima mea ad te Deus. Sed quar.
Psalmista metaphorice Cerui propoluerit
mentionem , vt ita currat anima ad Deum,
vt Cervus ad fontem , non vacua mysterijs
maneat. Numquid solus Cervus, & non Co-
lumba, Turtur, & Passer fontem requirunt?
sed aliter Cervus, aliter Columba ad fontis
amnem recurrent.

Lectio VII.

ISTE Cursa pedum , ista æereo volatu
descendit. Iste insecurus frequenter ar-
te venatorum lassabundus currit ad
aquas; hæc verò in fatigata solita accedit:
Quod si mysticè penfare volumus, invisibilis
anima, visibilis animalis habet formam, qua-
vno cursu fatigationis hic pergit ad fontem
terrenum: hæc ad fontem cœlestem. Iste fa-
tigatus

tigatus vocibus canum ; ista consecuta spicibus malignis , pro quo ad fontem illum currendum est , qui est fons vivus , puto domus Iacob , ex quo aquæ vena salientis ebullit in vitam æternam.

Lectio VIII.

Certe tanta Soror tali fide venit ad fratrem , nam aliter æger , aliter solipes ad medicum vadit ; iste ut sanus , sanum visitet , ille ut languentem sanum procuret , nam & ad fontem aliter sitiens festinat , aliter crapulatus à vino , ille ut hausto refocilletur mentem , ille , ut recto itinere insitiens perget : Soror verò ista in tanto fratre ambas gratias cernens sapiente pede in fatigata venit , prius ut sana sanum visitet , sequenter , ut ægram non corpore , sed mente curer documentum salutis ; quia nec ipsa astra munda sunt in conspectu Dei , & secundum Apostolum , nec infans viius diei.

MENSE MAIO.
Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

QVI Totum diem in Dei laudibus , sacrisque colloquijs ducentes , in cumbentibus noctis tenebris simul accepere cibum . Beata talis visio Parentum præ oculis habés Domini præceptum : Primum querite Regnum Dei , & iustitiam eius , & hec omnia adiicientur vobis . Beata talia fercula , vbi prius ponitur panis Angelorum , quam hominum , & vbi prius refocillatur mens , quam venter ; nam hic reponitur cibus , qui placere possit mensæ caelesti , ibi verò esca manet , quam indigeries corporis mittit : Et beatus sermo , qui toto diei spatio protelatur laude divina , & qui à primo lucis ortu usque ad occasum , alternatim reciprocantur prædicamina sacrosancta .

Lectio VI.

CVmque adhuc ad mensam conseruent , & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret , eadem sanctimonialis foemina soror eius eum ro-

gabat , dicens : Quæso te ne ista nocte medereras , vt usque mane aliquid de cælestis vita gaudijs loquamur . Ad mensam sedent , cibum sumunt , uno dente charitatis ruminat panem , & colloquia sacra , vt unum efficeret os , quo terrenum panem frangeret , & cælestem . Nam venter plenus cibo , mens erat adhuc ieiuna verbo salutis , idcirco quasi famelica rogat , vt divinis cibarijs mentem satiaret .

Lectio VII.

CVi ille respondit , quid est quod queris Soror ? manere extra Cellam nullatenus possum . Ecce percontatur frater sororem , Magister Discipulam . Sanctus Sanctam quasi nesciret , quid dixerit soror . Sed ista inquisitio magis irascientia est , quam interrogantis , dum bene Pater audisset , quid soror rogaverit tanquam si dicceret : Non bene est hoc , quod rogas , vt insolitus extra Cellam maneam , quod implere minimè possum . O sanctitatis amator , quare Germanæ denegas , quod etiam extraneis præbes ? Sed hoc Religio facit , non causa doloris . Scis Domini præceptum : Qui diligit Patrem , aut Matrem , aut fratrem , aut sororem plusquam me , non est me dignus ; ideoque ad assuetum recurris orationis locum vbi magis Deo , quam sorori solitus es adhærere .

Lectio VIII.

Sed præsumenti voce dicimus : Numquid non Deus hic est , vbi bona Soror Sacramenta Dei perquirit , cum ipse dicat , vbi duo , vel tres congregati fuerint in nomine meo , in medio eorum sum? Ecce non rogat , vt longo te tempore certat more Parentum , sed viuis noctis spatium poscit , quo præbebas colloquia sacra . Quam durè attendis sancte frater preces sororis , ob tua causam Sacrae Religionis . Illa bene querit , vt à te habeat , tu similiter vt redeas ; illa fide , tu fide , illa amore Dei , tu pariter vt illa ; illa vt cum Sorore in prædicatione tempus noctis exolvas , tu , vt cum fratribus solitas Domino referas laudes , sed quis è duabus melius , sequens sententia monstrat . Tanta verò erat Coeli serenitas ,

⁴
vt nulla in ære nubes appareret; Verè nulla
nubes esse potuit, vbi erat lux vera, quæ il-
luminat omnem hominem venientem in
hunc mundum.

MENSE I V N I O.
Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

Stimonialis autem foemina , cùm
verba fratris negantis audisset insertas
digitis , manus super mensam possuit,
& caput in manibus Omnipotentem Do-
minum rogatura declinavit.Dic Virgo bea-
ta , cuius tēschola docuit, quæ contra Ma-
gistrum sententiam proponit? Numquid non
dicit ; Perfectus omnis discipulus erit , si sit
sicut Magister eius ? & in Evangelio inquit:
Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,
& tu ambas manus innectis?

Lectio VI.

Et illud , mittite in dexteram navigij
rete , & tu vtroque latere recte im-
mergis ? Ille à dextris oves collocat,
tu etiam in sinistro? Psalmista hinc à dextris
ponit dicens: Dixit Dominus Domino meo
fede à dextris meis ; nec non Dextera Do-
mini fecit virtutem , Dextera Domini exal-
tavit me? Et in Cantico,Dextera tua Domi-
ne glorificata est in virtute , & tu ista dero-
gans non solum manus impletis, sed etiam
digitos inseris?

Lectio VII.

Dominus dicit in Evangelio : Tu au-
tem cum oraveris intra in cubicu-
lum tuum , & clauso ostio ora Pa-
trem tuum ; Et tu ad Coenam sedens ante
humanos oculos, preces lachrymasque fun-
dis ? Sed quām laudanda sunt tua facta , ò
sanctissima foeminarum ! Quid tu in Con-
clavi facis, quando talia patent Cœlo pera-
gis? Nam ideo tibi vna est dextera, levaque
pars , quia fabricam attendis illis , qui nul-
lam habent sinistram , vt dicit , vidit Deus
cuncta , quæ fecerat , & erant valde bona.
Et in Cantico Canticorum leva eius sub ca-
pite meo , & dextera illius amplexabitur

me. Et in Psalmo, Manus tue Domine fecer-
runt me , & plasmaverunt me. Et illud in
Cantico: Manus meæ stillaverunt Myrrham.

Lectio VIII.

Hac quippe autoritate , quām pu-
chra tue manus , complexa con-
stunt , super quas caput reclinans,
imbrem cælitus lachrymas effudisti , sed
quod caput, Apostolus dicat. Caput mulie-
ris vir , caput viri Deus , nam cuius viri , nisi
illius, vnde Propheta dicit: Vir oriens no-
men eius ? Ecce ille qui pro salute omnium
in Cruce inclinato capite tradidit spiritum ,
suo capite tuas nunc declinavit in palmas,
vt sui mysterij, quod mente quærebas, arca-
num tibi manaret ab Astris, quæ tantum in-
sertis digitis egisti miraculum , quid faceres
si palmas extendisses ad preces?

MENSE I V L I O.
Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

Cumque levaret de mensa caput, tan-
ta coruscationis , & tonitrui virtus ,
& tanta inundatio pluviae erupit, vt
neque Venerabilis Pater Benedictus, neque
fratres, qui cum eo aderant extra loci limen ,
quo confederat, pedem mouere potuerint.
Quam nova miracula mundo, quam cunctis
laudâda præconia feclis? vbi nulla erat um-
bra nubis , aer intonat clamoribus omnes ,
& densa tonitrua sonant , vbi nullius erat
conclusio venti. Nam unus fons oculorum ,
& mensam rigabat lacrymis , & æther im-
bribus arva.

Lectio VI.

Sed nunc sancta Charitas fixa, stent im-
mobiles pedes fraterni , quod soror
poscit , non deneget dilectio fratris:
Dà volens , nolens pernox sacra colloquia
Pater. Ecce ista præceptum Domini cōplet ,
petit, vt accipiat, quærerit, vt inveniat, pulsat,
vt aperiatur ei. Quid petit, ipsa dicat. Ut vñ-
que mane aliquid de cælestis vita gaudijs
loquamur; Nam ideo descendisti obuius, vt
ista dona proferres ; perfice quod cœpisti
nam

nam non initio præmium extat , sed in fine
operum bonorum. Idcirco è superis fudit
Dominus imbre , vt tu non deneges præ-
dicaminum amnem. Verè non poscit munus
caducū , sed Regni cælestis expedit lucrum.

Lectione VII.

Sanctimonialis autem femina , caput in
manibus declinans , lachrymarum flu-
vios in menſam fuderat , per quos sere-
nitatem aeris ad pluviam traxit , nec paulò
tardius post orationē inundatio illa sequen-
ta est; sed tanta fuit convenientia orationis ,
& inundationis , vt de menſa caput iam cum
tonitru levaret , quatenus vnum , idemque
efset momentum , & levare caput , & plu-
viam deponere. Quam bonus Deus Israel
rectis corde , quam pius animæ querenti il-
lum!

Lectione VIII.

Ecce , qui scrutator est mentium , &
corda omnium cernit , qui per Psal-
mיסטam dicit: Invocabit me , & ego
exaudiam eum , cum ipso sum in tribulatio-
ne , ecce non distulit , non multas expetivit
preces , sed in iictu oculi , & puncto cordis
petenti tribuit donum. Nam levato de ma-
nibus capite , vna fuit orationis convenien-
tia , & inundationis. Gaude , & lætare viro-
rum sanctissime , quia ecce tenes , quod vo-
luisti , ecce habes , quod semper quesisti: ecce
miracula cernis insignia , Cœlo , terraque
probata. Verè si negasses , quod expetebas ,
non fuerant signa humanis oculis nata , quæ
toti semper mundo lectio sacra sonat. Ecce
iam Scholasticæ nomen virtutum laude co-
ruscat; Ecce illius miraculo Plebs sancta cō-
gaudet ; Ecce quam cultasti sarculo cælesti ,
fructus fert signorum.

MENSE AVGVSTO.

Sermo. Ven. Bedæ Presbyt.

Lectione V.

Tunc vir Dei inter coruscos , & toni-
truos , atq; ingentis pluviae infundatio-
ne , videns se ad Monasterium non posse
remere , cepit conqueri contristatus di-

cens: Parcat tibi Omnipotens Deus , Soror ,
quid est , quod fecisti? Quare queris vir Dei ,
quid Soror fecerit ? Numquid non cernis
quid ipsa fecerit ? Numquid non vides pluviae
guttas ? Numquid non audis concrepantes
mugitus ætheris ? Numquid non sentis mira-
cula coruscare , signa fluere , fundamina do-
mus contremiscere ; & dicis quid fecisti ? Nú-
quid ipsa hoc fecit , quod magis tua sancta
negatio fecit , quia si non negasses , miraculū
non eveniret. Hoc Christus gessit , & tu
amator , nam petenti Cananea mulieri , re-
ces audire distulit , vt eius fidē faceret ac-
torem , vt querenti Catello micas , filij da-
retur panis , sed illa , vt extranea à finibus
tunc venit , iam non extra à consortio
Christi: ista verò à cunabulis Christo dicata
cum Maria glorioſa Virgine , audire meruit
optimam partem elegit.

Lectione VI.

Et quare Pater contristatus dicens: Par-
cat tibi Omnipotens Deus , Soror
quid est , quod fecisti ? O vir Dei ; Tibi
homini mentes patescunt , tibi aer numis-
mata fundit , tibi arida dolia oleum manant ,
tibi alta profundi lacri ferrum reducunt ab-
imo , ipſi inferi animas reddunt , & nunc
quasi contristatus nesciens , dicens quid fe-
cisti ? O Pater Beate , si fas est dicere , quantum
fuerat iustius dicere , Parcat tibi Omnipotens
Deus , quia tuas bonas non audio pre-
ces , quād dicere Parcat tibi Omnipotens
Deus , quid est , quod fecisti ? Hoc est illud Sal-
omonis ; argue sapientem , & diliget te .

Lectione VII.

Cui illa respondit ; Ecce rogavi te , &
audire me noluisti , rogavi Dominum
meum , & exaudiuit me. Subaudiatur ,
Te quidem rogavi , vt fratrem , sed tu , vt
Germanam noluisti audire. Sperabam , vt
mente haberet viscera matris , partus dolo-
rem , laetias mammas , cunas nutricis , lava-
cra obstetricis , fascias temporales , quibus
infantia olim nutritiv; sed tu me noluisti au-
dire , & magis festinabas ad fratres , quos tibi
sola charitas Christi facit Germanos , quos
etiam nescis à quo limite ad tua cunabula
hos .

fios mundus transmittat; idcirco rogavi Do-
minum meum, & audivit me.

Lectio VIII.

TN non attendebas, quod unus Pater
amborum contulit membra, Tu non
cernebas vnam nobis mansionem
fuisse inter vteri septa; idcirco ad illum Pa-
trem cucurri, qui nobis animam dedit, qui
terrena tribuit, & caelestia non denegavit.
Modò ergò si potes egressere, & me dimissus
ad Monasterium reddi. Modò enim præsen-
sis est temporis, modò enim quando tibi
Omnipotens Deus itinera clausit; modò
quando adiuncti eundi denegavit, modò si
potest, me dimissa ad Monasterium reddi. Et
cur Pater fatigaris? Nisi quid non hic est Mo-
nasterium, vbi tu es, qui caput es omnium
Monasteriorum, & Doctor omnium Mo-
nachorum, dum non locus hominem, sed
homo sanctificare locum? Sta nunc Pater
sanctissime invitatus, vt alterius diei Sol tibi
præbeat gressum.

MENSE SEPTEMBRI.
Sermo Ven. Bedæ Presb.

Lectio V.

Ipsa autem exire extra teclum non va-
lens, qui manere sponte noluit in loco
mansit invitatus. Quam multis sanctis vi-
vis factus est vir Dei compar, qui inviti fe-
cerunt bonorum facta; Nam Iacob invitatus
fratrem fugit, qui postea redditum cum mul-
ta; Sic Daniel vadit Babylonis ad Arcem, vt
primus fieret cunctis sapientibus. Sic Saulus
invitus factus est Paulus, vt fieret Gentium
Prædictor: ideoque tua non requiescat
charitas sancte vir stare invitatus, vt Christi
tribus documenta salutis.

Lectio VI.

Sicque factum est, vt noctem totam per-
vigilem ducerent, atque per sacra spi-
ritualis vitæ colloquia sese vicaria re-
latione latiarent. Ecce nunc nova spiritua-
lia gaudia surgunt, quia negans prius, fatus
est nunc attributor caelestis, & colloquij

sacris vicaria relatione se satiant, qui prius
erant à concordia discordes. Quanta sunt,
Omnipotens, tua mirabilia Deus, nam om-
nia proba voluisti, fecisti, & non est, qui re-
sistat tua maiestatis potestati: ideoque lau-
dant te Cœli, aer, terra, mare, & cuncta,
qua in eis sunt; quia semper innovas signa
mirabilia tua, vt te totus Orbis agnolat
suum esse Redemptorem. Dæ iam plus pio
Patri Benedicto iter redeundi ad Cellam,
stringe aereum amnum, tolle pluvia guttas,
da serenitatis Solem, vt qui letus accessit,
gaudens recedat, vt simul eius Soror vale
dicens fratri, ad propria revertatur, vt si-
mul gaudentes, & exultantes tuo de mune-
re ad sua testa vehantur.

Lectio VII.

QVa de re dixi eum voluisse aliquid,
sed minimè potuisse, quia si vene-
rabilis viri mentem aspicimus, du-
biū non est, quod eamdem serenitatem
voluerit, in qua descendere, permanere, sed
contra hoc, quod voluit in virtute Omnipot-
tentis Dei ex foemineo pectore miraculum
invenit. Nec mirum, quod plus illo foemina,
qua diu fratrem videre cupiebat, in eodem
tempore valuit; quia enim iuxta Ioannis
vocab, Deus caritas est. Iusto valde iudi-
cio illa plus potuit, qua plus amavit: Brevi
sermone de his differendum est, nam se-
cundum Grammaticos Charitas media spe-
cies est, dum inter bonos, & malos Charitas
esse possit, & inter latrones, & pios, vt est
illud, perfecta Charitas foras mittit timorē.
Certe si perfecta est ista, qua inter bonos
foras mittit timorē, imperfecta nihilominus
fore creditur, que inter malos, & superbos
nequitia concordiam præstat. Sic in Passio-
ne Domini Pilatus Iesum mittens Herodi, à
quo Iesus iterum ad Pilatum remissus, ami-
ci facti sunt Herodes, & Pilatus in ipsa die,
sed hæc est perfecta charitas, qua Deus est,
qua hic plus vna potuit, quam alter: de qua
dicit Apóstolus; Charitas Dei diffusa est in
cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui
datus est nobis.

Lectio

Lectio VIII.

Cumque die altero eadem venerabilis foemina ad Cellam propriam recessisset, Vir Dei ad Monasterium reddit, & ecce cum post triduum in Cella cōsistens elevatis in aere oculis, vidit eiusdem Sororis suæ animam de eius corpore egressam in Columbae specie Coeli secreta penetrare. Quā felices sunt oculi, qui Animas possunt contemplari beatas, qui carnaли intuitu spiritualia cernere queunt? Ista luminalia non adiacent in fundamine frontis, sed intus renitescunt ad cordis fenestras, de quibus dicitur: Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi Columbae ad fenestras suas? Ecce iam Benedicte Pater ista Columba ad tuas, iam cordis volat fenestras, ut tuā Sororis anima per eas transiens ad Coelestem illam deferat portam, ut illa fieret ductrix anima tanta quā fuit avis quondam portatrix ad arcā redditā pacis. Quā felix ales talibus mysterijs compta, quā meruit etiam super Dominum Christum Spiritum Sanctum ferre; ista frequens obsequijs instat Regis aeterni; ista asuetis pennis de argentatis auro dorsa resplendens, Paradiso nuncia defert. De hac in Cantica Canticorum dicitur: Surge amica mea Sponsa, & veni, Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceria.

MENSE OCTOBRİ.

Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

QVI Tantæ eius gloriae congaudens Omnipotenti Deo in hymnis, & laudibus gratias egit, eiusque obitum Fratribus denunciavit. Denunciavit enim Sanctus Pater Fratribus, quod meruit sacro intuitu cernere serenum, & talibus congaudens votis, Omnipotenti Deo gratias egit; quia quam ante triduum rore verbi coelestis perfuderat ad aethera regna in Columbae specie scandere cernit.

Lectio VI.

QVOS etiam protinus misit, ut eius corpus ad Monasterium defer-

rent, atque in Sepulchro, quod sibi ipse paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens vna semper in Domino fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Ecce Frates Margarita coelestis à negotiato dudu empta aptatur coelestibus ornamenti, iam inter lilia cädentia pascens sequitur agnum quocumque ierit. Ecce in Paradiso Domini ab Angelis collocatur. Ecce in Terris Monachorum manibus aptatur in tumulo fratris, ut munus, quod v. mater contulit, nec Coeli ianua, nec Terra sepultura separaret; & quibus vna fuit semper mens in Christo, vna esset Corporum arcus. Ecce reparata sunt tua damna Paradise: Ecce Virgo Dei manu format. Quam de tuo pestifer hostis abstulit loco, iam reddit ad culmina Coeli, iam recognoscit sui palmam structoris, iam quia victa fuit, victrix calcat hostis colla maligni.

Lectio VII.

DIC, dic inferni minister, dic Orcigenum genus, omnium venenorū frumentum repletum, quid tibi fecit Plasma Sanctissimum Dei? Quid tibi nocuit foemina benè formata? Quia de causa vtrō te confiliarium inieisti, ut manducareret, quod tuum non fuit? Dic, pestifer fur, quia non potuisti rapere partem regni Dei, idē voluisti rapere per Serpentem Creaturam Dei. Quid demens tibi profuit? Tu tibi perpetuos ignes cumulasti, ierpens Terram commedet cunctis diebus; Tu catenis igneis alligatus, ille omnium ira præmitur, calcaneis tunditur, verberibus flagellatur. Væ, vae per omnia vobis. Ecce foemina reparata est sanguine Christi. Ecce pro amissione terreni Paradisi, illa nunc culmina Coeli retinet, vnde præcepis ruisti; Versum est fel tuum in dulcedinem mellis, frans maligna tua in reparacionem omnium, & salutem. Perforata est maxilla gutturis tui neminem mordens, neminem vorans sine Deo volente;

Lectio VIII.

GAUDE iam Virgo Dei tantis sublimata triumphis: exulta Benedicte Pater San-

Sanctissime Patri, Doctor dulcissime Do-
ctorum, quia consummatis operibus sanctis
pariter congaudetis super Regna Caelorū.
Intercedite pro vobis commissis; postulate
pro nobis afflictis, rogate pro nostraris deli-
ctis, poscite Christum non solum pro Monachis
commissis, sed etiam pro vestris ancil-
lis, ut omnis aetas, omnis sexus, omnis ordo,
qui vestris præceptis colla submittrunt, peri-
tura mundi despiciant, gaudia æterna con-
ciliuant, Regna beata appetant, prospera
marum, & corporum percipiant, nulla
diabolica fraude molestentur, nullis incur-
sionibus malignorum affligantur, nullisque
malignitatis annihilentur.

MENSE NOVEMBRI..

Sermo Ven. Bedæ Presbyt.

Lectio V.

Quid etiam de Sorore eius Beatissima
Scholaistica Virgine, & Sponsa
Christi, & ab ipsa sua infantia Do-
mino dedicata dicemus? Cuius quidem
quamvis hoc nomen proprium est, omnium
tamen Sanctorum Virginum commune est.
Si enim, & ceteræ Virgines hoc nomen non
habuissent, in Scholis Christi nō didicissent;
nec eius discipulae fuissent. Scholasticus
enim sive Scholaistica à Scholis vocatur. Sed
non omnis, qui in Scholis moratur, hoc no-
mine dignus est: verum enim ille so-
lus Scholasticus, vel Scholaistica dici debet,
qui pro ingenij capacitate, vel lectionis af-
fiduitate multum iam sapientia profecisse
dignoscitur.

Lectio VI.

Sed, quæso quibus in Scholis hanc Vir-
ginem didicisse arbitrais: nunquam
enim Philosophorum, & Poëtarum
Scholas ingressa est: nunquam eorum scien-
tia, & doctrina ei placuit: Quorum doctri-
na error; quorum sapientia stultitia est: si-
quidem sapientia huius mundi stultitia est

apud Deum: Numquam respexit in vanita-
tes, & infanias fallas: nunquam vana, &
inutilia sibi placuerunt. Omnibus igitur, que
mundi sunt pro nihilo ducens, ad veras
Omnipotentis Dei Scholas, totam se con-
tulit; ad Scholas Iesu Christi Filii Dei; ad
scholas illius Magni, & universalis Magistri,
qui totum Magisterium sibi vendicans, om-
nes alios Magistros vocari prohibet.

Lectio VII.

QVAMVIS enim multi in Sancta Eccle-
sia Magistri esse videantur: siquidem
Apostoli, & Episcopi, omnesque Ecclesiae Prælati Magistri dicuntur: vnum
tamē est Magister Christus Iesus. Quia omne
Magisterium, omnisque doctrina ab ipso
est: & quidquid ceteri docent, nō ipsorum,
sed illius est: Hic est ille Magister optimus,
qui veram sapientiam promittens, ait: Ego
dabo vobis os, & sapientiam, cui non pote-
runt resistere, & contradicere omnes adver-
sarij nostri; sed quare non os sine sapientia?
Quare non sapientiam sine ore?

Lectio VIII.

ET Hæretici quidem os habent sine sa-
pientia, quia in sola loquacitate con-
fidentes; non quidem sapientiam
prædicant, sed mortem, errores, & stultitias
luminant. Et contra vero illi sapientiam sine
ore habent, qui talentum sibi creditum ter-
ra suffodiunt: & huius optimi Magistri do-
ctrina non manifestant, de quibus etiam
non immerito dicitur: Canes multi nō val-
entes latrare: Quid enim prodeat Christi
Scholas intrare, & Christi doctrinam non
prædicare?

MENSE DECEMBRI.

Omnia vt in mense Novembri.

ORDI-

ORDINIS S. BENEDICTI.

CVM Sac. Rit. Congregatio sub die 22. Februarij 1687. indulserit Vniverso Ordini Benedictino recitationem Officij S. Scholasticae Virginis Sororis S. Benedicti sub Ritu semiduplici semel mense die non impedita Festo duplice, vel semiduplici, & extra tempus Adventus, & Quadragesima: Eadem Sac. Congreg. ad novissimas praesces P.D. Pauli de Ferraria Abbatis, & Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis, præmissas Lectiones proprias eiusdem Sanctæ, ex tom. 7. operum Ven. Beda Presbyteri desumptas, & ab Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardin. Colloredo, revisas, & correctas approbavit, easque, ut iacent pro singulis mensibus dispositas in secundo Nocturno à Religiosis vtriusque Iexus prædicti Ordinis Benedictini in posterum recitandas, pro eorum usu imprimendas concessit, si Sanctissimo D. N. placuerit die 15. Decembris 1691.

Et facta de prædictis per me Secretarium relatione Sanctiss. D. N. Innocentio Pap XII. Sanctitas Sua annuit. Die 29. eiusdem mensis Decembris, & Anni 1691.

A. Card. Cybo.

Loco  Sigilli.

I. Vallemarus Sac. Rit. Congr. Secret,

ROMÆ MDCXCII.
Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicae.

Superiorum permisso, & Privilégio.

